

respectu scil: criseos tempestivè & legitimè factæ. Deinde etiam crisis non adeò strictè ad 7 diem adstringenda, nec etiam ex numero dierum tantùm, sed etiam ex coctionis signis æstima-
 manda. Observatum quippe ab Autoribus Jcterum aliquan-
 do ante septimũ diem salutarem fuisse cujusmodi exempla ad-
 fert *Forest. lib. 3. de feb: obs. 10. Item Holl. c. 37. de morbo regio. Celis à fonte in consult.*
 XXXIIX. *Medicus cons. 138. Hoffm. l. 1. obs. 20 et febris.*

Tantùm etiam de Prognosticis, quibus informati atq; in-
 structi jam ad Curationem rectà progredi poteramus. Verùm
 ne Empiricorum more de corio humano ludamus, meritò
 Dogmaticorum vestigijs insistentes, *Indicationum ductum*, qui-
 bus Dogmaticus Medicus tanquam proprio instrumento, ad
 inveniendā pro curatione affectuum præter naturalium reme-
 dia, utitur, sequamur. Cum autem defædati hoc coloris Sym-
 ptoma, non nisi causā ablata, tolli possit, pro hujus diversitate
 etiam diversæ medendi indicationes occurrunt, quæ tamen ad
 tres illas Classes *Præservatoriam*, *Curatoriam* & *Vivalem* referri
 possunt. *Præservatoria* respicit causam antecedentem: *Cu-
 ratoria* verò causam Jcteri conjunctam, bilem scilicet in habitu
 corporis consistentem, seu incutim effusam. *Vitalis* vires præ-
 sentes conservare; amissas verò reparare studet. Hisce igitur
 Indicationibus ut satisfacere valeamus, triplici præsidiorum
 genere instructi simus necesse est. *Chirurgiâ*, *Pharmacîâ* &
Dietâ.

XXXIX.

Ex *Chirurgia* primò se offert *Venæsectio* administranda.
 Quæ an locum hic habeat, dubitasse videtur *Galenus*, in libro de
purgant: facultat. c. 2. si, inquit, *in morbo regio laborantibus san-
 guinem miseris, extremam in perniciem ages.* Hæc verba repetit
in lib. de atrabile, quia dantur medicamenta specifica, hunc hu-
 morem trahentia. Verùm licet Jctero per se & quatenus Jcte-
 rus, h. e. quatenus tantùm affectus est mutati coloris, ejusq; cau-
 sa est sola per totum corpus bilis effusio & retundantia, cui
 purgatione, non venes. opus est, venæ sectio non competat:
 Competit tamen illi alterius morbi comitis causa, quatenus
 C scil: